

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA TERTIA HEBDOMADAE QVARTAE QVADRAGESIMAE, Epistola, Exod.
32.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

FERIA TERTIA

sequi, sed de temporali templo dici putabant. Discipuli verò, & quibus odio & invidia mens nondum erat ex cæcata, crediderunt, vt in illis ostenderetur iudicium: in his verò, misericordia. Venit enim Christus in hunc mundum, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, Iohan. 9. Illud tamen hoc loco obseruandum monet Euangelista, multorum fidem admodum fuisse dubiam & infirmam: quippe qui ex miraculorum consideratione nata tantum fuit, nec radices in ipsorum animis egerat. Proinde licet propensi admodum in Christum viderentur, tamen se non credebant ipsis, ipso facto ministros verbi monens, ne temerè se committant aures populari, aut ex vulgi opinione & existimatione se iudicent. Est enim Euripo magis varium vulgus.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE

QUARTAE QUADRAGESIMAE,

Epistola, Exod. 32.

Dent. 9.

Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens, Vade, descende, peccauit populus tuus, quē eduxisti de terra Aegypti, &c. Finis Epistolæ: Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.

*Iudeorū in
gratitudo.*



RO PONIT hæc Epistola tria.

I Primò, Detestabilem Iudeorum ingratitudinem, qua, neglectis omnibus Dei beneficiis, vt libertatis Aegyptiacæ, educationis per mare Erythræū, alimoniarū celestis, & protectionis diuinæ contra omnia ingruentia mala, leuissima occasione, ob diuturniorem Moysi, scilicet, absentiam, furibundo quodam impetu in idololatriam ferebantur, tanta vesania, vt pretiosissima quæque in eam impietatem profunderent; ex quo agnoscere licet quid improba possit cupiditas, malorū omnium radix, i. ad Tim. 6.

Fructus,

Porro ex hoc agnoscimus quos fructus producere solet populus Pastore desertus, nimirum, Dei neglectū, fidei contemptum, lasciuiam, impietatem, & idololatriam: *re solet popu-* lus Pastore sic hodie videmus non sine magno religionis Christianæ damno, florentissimas Respublicas Pastorū aut ab-

sentia, aut negligentia, quemadmodum Israelitæ, turpissimis flagitiis Deum irritare, dum passim quævis admittitur religio, licentia viuendi conceditur, & ministrorū verbi nullus habetur delectus Quo fit, vt pro vera religione hæresin passim amplectantur idiotæ, & quia plurima permittunt quæ carni adlubescunt eis, nō secus ac Israelitæ, suos Deos laudent, in eis salutis ancorā collocent, vt nō immeritō grauissimè nobis indies minari videatur Deus bella, seditiones, pestem, famem, & interitum. Neque verò emphasi caret quod Mosi dixit Deus, *Peccauit populus tuus*: quasi dicat, Hactenus dum mihi paruit, meus fuit populus, illius ego curam suscepi, eam nunc prorsus abiici. Quod vtinam hodie de populo Christiano non dixerit Deus, quum nullus penè eo in toto orbe sit inferior, & qui tot sectis & opinionibus inter se dissideat, tot dissidiis laboret, tot flagitiis diffluat, vt penè videatur Deus illius abiicisse curā, & merito irasci, quum nemo sit, qui se illius iræ opponat.

2. Secundò, Stupendam Mosi mansuetudinem, qua se velut murum opposuit irato Deo, dum omnia sua postponit suæ Reipub. salutì, vtilitati, & felicitati, magis eligens abiectus viuere, quàm suorum stragem intueri: quod demum veri Principis est officium sacri æque ac profani, qui in hoc à tyranno differt, quòd hic suorum perniciem, incommodis, & interitu suū faciat cōmodum, cædibus ac sanguine nunquam satur, quem verè iuxta Sophoniam lupum dixeris, cap. 3. Item Ezech. 21. Sed quo quæso ariete gliscentem iam Dei iram fregit sanctissimus Moses: nō certè corporeo, sed precibus, oratione, & deprecatione, armis sanè efficacissimis, & quæ vel ipsum penetrare cælum possunt: si quando animo sincero, conscientia bona, atque fide non ficta Deo offeruntur. Sic enim non nisi ex ipsius spiritu proficiscitur, qui quomodo orare oporteat, docet, Ro. 8. Ea autè est veri fidelis libertas, vt Deum sibi quasi deuinciat authoritate suarum promissionum, vt negare non possit, 2. Timot. 2. & compellat, mutato irato affectu, quo punire decreuit, gratiam tribuere, & peccatum delere, dū ait, *Memento Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurasti per temetipsum*, &c. Vide ex hoc loco quid Sanctorum preces

Mosi mansuetudo.

Fidelis libertas.

*Sanctorum
preces.*

*Impotentia
arguitur
Deus ab in-
fidelibus &
hereticis.*

*Misericor-
dia Dei im-
mansa.*

*Iesus Chri-
stus orator
secundū hu-
manitatem.*

apud Deum possint. Item, Num. 16. occurrit Aaron iræ Dei. Plurimi enim est apud Deū deprecatio iusti, lac. 7. Neque verò promissionum suarum tantum commone- facit Deum Moses, sed addit quāta ab impiis ipsius glo- riæ ignominia, iniuria, & blasphemia impingeretur, si pro meritis tantum scelus punire pergat. *Ne queso dicant Aegyptij*, inquit, *Callide eduxit eos*, &c. quasi dicat, Non mi hi tantum, sed tuæ potentia, derogabunt hostes nomi- nis tui. Tu impotentia, & imbecillitatis argueris, ô De⁹, ab infidelibus, quòd tantam multitudinem passus sis in vasta hac solitudine occumbere, quæ sese defendi posse tua potentia sperabat. Potest & hæc oratio hodie affli- ctæ Ecclesiæ accommodari.

3. Tertio, Dei immensam misericordiam, qua sēte exo- rari tam leniter passus est, ne tantum scelus pro meritis damnatione, excidio, & morte aeterna puniret, re ipsa haud dubiè declarans nolle se mortem peccatoris, Ezec. 18. sed sua benignitate ad pœnitentiam omnes invitare, Rom. 2. Est enim apud ipsum misericordia & copio- sa redemptio, Psalm. 129. Pulchrè autē, vtdocet Tertul- lianus lib. 2. contra Marcionem, hic Moses imaginem refert Christi, Patrem suum pro genere humano oratio- ne, passione, & morte sua exorantis, qui solus est propi- tiatio pro peccatis nostris, ac totius mundi, 1. Iohan. 2. qui in hoc apparuit, vt dissolveret opera diaboli, 1. Iohan. 3. qui & Patrem nobis propitium fecit, dum quod adversum nos erat, chirographum decreti deleuit, affi- gens cruci, Colof. 2. Cuius merito ob peccatum damna- tioni obnoxia natura humana, æterno Patri reconcilia- tur, dum ex filiis iræ fiunt vasa misericordiæ: & resti- tuitur, dum erepta de potestate tenebrarum, transfertur in regnum dilectionis filij sui: vt iuxta Apostolum sint, Rom. 8. hæredes Dei, & cohæredes Christi: quibus non potest non esse propitius Pater. Si enim tantu esse potu- it apud Deum solius hominis Mosis oratio, vt tam hor- rendi peccati condonationem impetraret, quid non po- terit Dei & hominis Iesu Christi plenissima satisfactio, non oratione tantum, sed sanguine confirmata: Qui li- cet secundū humanitatē sit orator ex tempore, est tamē secundū divinitatē cum Patre ex auditor æternus. Agno

seant itaque fideles sese ex fide iustificatos pacē habere cum Deo, sed per Christū ita tamē, vt sese nouerint cruci subiectos, ac debere se cum vitiis & concupiscentiis, carnē suā crucifigere, pœnitentiæ operibus, fidei cōstantia, oratione, ieiunio, lachrymis certam suam vocationē efficere. Et quemadmodū Moyses impetrata peccati huius remissione, grani tamen animaduersione, pœnæque temporalis puniuit à Deo condonātū peccatum: ita nos quoque ad pœnitentiæ opera manere obligatos.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE
QVARTAE, EVANGELIUM, IOHAN. 7.

Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat, &c. Finis Euangelij: Nunquid Vere cognouerunt Principes, quia hic est Christus? sed hunc scimus vnde sit.



OMPLECTITVR hoc Euāgelium, præter grauem cum Iudæis habitam à Christo contentionem, de vera festorū colendorū ratione, præcipuam quoque salutis adipiscendæ rationem, quam docet non in sola fide, sed obedientia mandatorum esse constitutam. Agit autem quinque.
1 Primò, Confutat inuidiosam Iudæorum de se, suæque doctrina admirationem, quam duabus de causis conceperant: scilicet, quòd literas sciret, & quòd nō didicisset. Siquidē ignorātia peccati, meritò propria est humanæ naturæ, quæ sine studio & diligentia superari nō potest: quā quū in Christo nō animaduertisset: quia nihil sublimius de ipso, quàm de alio quouis cogitabāt, admirabatur ipsum tāta maiestate, gratia, arque eruditione docere: nō sicut Scribæ & Pharisei, sed quasi potestatem habens. Marc. 1. scilicet, nō Pharisaicas superstitiones, non frigidæ legis caremonias, sed cælestē illā Euāgelij doctrinā hæctenus ignotā mundo, Angelis, & hominibus. Christus autem, vt eos, qui purā hāc Euāgelij doctrinā quā ipse è sinu Patris mundo attulisset, amplecterētur, in sua fide cōfirmaret, docet eā nō esse aut humanā, aut carnalē, dum ait, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris.* Quibus verbis eandē sibi esse cū Patre natu-

ram docet, hoc est, non adoptione, sed natura se Deum esse. Proinde nec hanc doctrinā aliter quā a Deo profectam esse recipiendam: Admonens omnes verbī ministros, ne sua somnia populo, sed Dei verbū annuntiet.

2. Secundò, Deinde quomodo hæc celestis doctrina apprehendi possit demonstrat, scilicet, fide, & opere, dū ait, *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina mea, utrum ex Deo sit.* Quibus verbis nō id agit, vt doceat opera fidei esse meritoria. Fides enim prima datur, per quam cætera impetrantur: & nemo, nisi ex fide, operatur, sed homini etiam post receptam fidem eam inesse animi libertatem, vt possit eam vel recipere, vel reiice-

Errant ha-
retici et Phi-
losophi, qui
fatali neces-
sitate omnia
evenire con-
sueverunt.
Pelagiani.

vult reicere. Ad exactam igitur voluntatis diuinæ cognitionem, quæ scilicet ad æternam salutem requiritur, non sola fides, vel inanis fiducia sufficiunt, sed requiritur obedientia mandatorum Dei: Iuxta illud, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, Matth. 19. Hoc qui fecerit, a semetipso non loquitur, & gloriâ propriâ non quærit. Hoc enim peculiare omnibus hæreticis, hypocritis & ambitionis, vt prætextu nominis Dei, cupiditatibus consulant suis, & omnia sua gloriæ Dei præponant: vt contra, qui veri sunt Dei Prophetæ & ministri, his solâ Dei gloriâ quarunt, eius iustitiâ sese subiiciunt, toti ab illo dependent, ita vt iniustitiâ in iis non sit vlla.

3 Tertiò, Iudæos transgressæ legis reos fecit, dum ait, *Nonne Moyses dedit vobis legem?* &c. Ostendens eos esse sub maledictio legis. Maledictus enim omnis, qui nõ permiserit in omnibus quæ scripta sunt in lege. Et quis sit verus & legitimus vñs legis, ostendit, vt scilicet, impleatur fide, & operibus, coërcens manu actionẽ, & cordis cogitationẽ. Si quidẽ præceptũ de non occidendo non impleuit, qui metu legis manu ab homicidio abstinere: sed qui ne odium quidẽ in corde admiserit: idẽ de adulte-

rio, de furto iudicium, (nam iuxta legis intentionem homicida est, qui odit fratrem suum: adulter, qui videtur mulierem ad concupiscendum eam: & fur, qui concupierit rem proximi) idemque de omnibus legis præceptis iudicium. Proinde Christus hac ratione Iudæos homicidij in ipsum concepti arguit, declarans se cum esse, qui abdita cordium ipsorum penetrare posset.

*Homicida,
qui odit fra-
trem suum,*

4. Quartò, Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi, legem de sabbato interpretatur, eamque ex Dei ordinatione docet inferiorem esse ea, quæ de hominis salute præcipitur: proinde cedere debere quoties proximi necessitas id exigeret. Est enim filius hominis, Dominus sabbati: Neque enim homo propter sabbatum, sed sabbatum propter hominem est: Nam pædagogicum, & caremoniale tantum erat sabbatum Iudæis præceptum, significans ab operibus malis, & peccatorum fideles otari debere, ut est Isa. 58. Hebr. 4. Luc. 14. Charitati autem, quæ finis præcepti est, omnia caremonialia, iudicialia, & moralia inferuire debere. Hoc enim est diem sabbati sanctificare, proximi ex charitate succurrere inopiæ, miseriæ, & necessitati. Huic enim nulla lex ob stare potest. Si enim brutis lapsis, ut ait Christus, licet succurrere, multò magis homini, ut argumentatur Christus, Luc. 14. Verum hic oportet distinguere inter contemptum, & necessitatem: nam hic lege punitur, ut patet in eo qui ligna collegit, Nu. 15. sed hæc ubiq; in omni lege excusatur.

*Charitas fi-
ni præcepti.*

5. Quintò, Prohibet à temerario iudicio, quia id semper in omni Republica gravissimos motus, ac tumultus excitare solet, ac non vult Iudæos vel odio, vel invidia suæ personæ, miracula in sabbato facta iniquius æstimare, quàm ea, quæ Moysi lege permittuntur. Permisit autem ea in sabbato circumcisionem, Iohan. 7. oblationem sacrificiorum, Matth. 12. & lapsum bovem, aut asinum erigere, Lucæ 14. Iniquè ergo contra Christum obmurmurabant, qui veram salutem, cuius typum illa adumbrarunt, attulit. Itaque graviter in ipsos invehitur, omnem illis ignorantiam, & excusationem adimens, dum ait, *Et me scitu, et unde sim scitis*: quia scilicet, ut iactatis, Moysi discipuli estis: sed ille de me scripsit.

*Distingue-
dum inter
contem-
ptum & ne-
cessitatem.
Iudicium te-
merarium.*

FERIA QVARTA

Scripturæ quoque, quas scrutamini, illæ testimoniū perhibent de me. Igitur si Mōi & scripturis creditis, me notis. Proinde nulla vobis superest excusatio ignorantiæ.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE

QVARTAE QVADRAGESIMAE,

Epist. Isaia 1.

Lauiamini, mundi estote: auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, &c. Finis Epistolæ: & succendetur vtrunque simul, & non erit qui extinguat.

Cessatio à peccatu, prima vera poenitentia pars.



Ac Epistola tria proponit Propheta, quæ ad veram salutis rationem spectant.

1. Primò, Cessationem à peccatis, quæ prima est veræ poenitentia pars. Neque enim vlla esse potest veræ virtutis operatio, vbi peccandi voluntas, affectus, & cupiditas animo imperat. Licet enim non fiat, vt nō aliquando venialiter peccemus. Si enim dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, 1. Iohan. 1. sed vt peccatum nobis non dominetur, & nos à lege Dei auertat, per gratiam Dei facile contingit. Quod itaque lauari vult peccatores Propheta, ad sacramentum baptismatis est allusio, cuius efficacia regeneramur, & renouamur ad vitæ nouitatem: non quidem vt quoties peccamus, toties rebaptizemur. Vnus etenim tantum est baptismus, Ephes. 4. sicut Christus semel tantum mortuus est, Rom. 4. sed quia nisi ille præcesserit, cetera poenitentia opera non prodesse: Fit enim præcedente baptismo, vt efficax sit subsequens poenitentia. Neque enim, inquit August. cap. 33. lib. 1. de nuptiis & concupiscen. aliquid prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra. Atque idè ne quis solum baptismum sufficere putaret, addit, *Auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Qui scite agere peruersè.* Quæ cum emphaticis dicantur à Propheta, pulchre omnem iustitiæ perfectionem complectuntur, atque omnem hypocrisis damnant: quibus hoc solum propositum est, vt coram hominibus iustitiam simulent. Doce enim non operibus tantum, quæ ab hominibus

Non prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra.